

Suam quoque familiam scilicet, que est in cottidierna prebenda Ecclesie et domini ducis familiam, Etsi qui alii aput eos saluo iure matricis Ecclesie elegerint sepulturam. Qui tamen omnis excepta familia Ecclesie ab ecclesia matrice recipient ecclesiastica sacramenta et ob hoc, si ipsi matriçi ecclesie aliqua de rebus suis legare voluerint, liberam habeant facultatem, immo si aliqui de predictis preter familiam ecclesie alibi sepulturam elegerint, stetur eorum vltime voluntati. Nullum pretextu quarundam fraternitatum sepelient nisi eos, de quibus superius est expressum. Item benedicere fontem in Vigilia Pasce et Pentecoste pro officii plenitudine ipsis concedimus et vnum vel duos tantum pueros ipso die baptizari; Palmasque, Cineres, Carnes et Cereos pro sua tantum familia benedicant. Item omnes decimas tam minores quam maiores in plebanatu wiennensi, per quoscunque agri vel vinee colantur. Plebano adiudicamus preter noualia Abbatis et decimas olerum, quas huc usque habuit, quas ipsi Abbati volumus esse saluas. Quecumque pars hoc nostrum arbitrium ausu temerario presumpserit violare Centum Marcas argenti nobis soluet, priuatus nichilominus omnibus his, que ex nostro sibi arbitrio competebant, pro quibus nullam sibi de cetero competere volumus actionem. In cuius rei perhennem memoriam presentem litteram nostri et dilecti in christo fratris. H., prepositi sancti ypoliti sigillorum munimine fecimus roborari. Actum in Sancto ypolito Anno domini MCCLXIII. In die Sancti Marci. Indictione VI.

O. Pgt., die zwei Siegel fehlen.

Allg. Reichsarchiv München, Hochstift Passau
(Stadt Wien) Fasc. 2, VIII $\frac{2}{1}$

»Orationes Christi in psalterio.«

(Continuatio. Vide tom. XXIV. p. 67—82.)

III. In ps. 41 (40). Oratio Christi crucifixi beatum dicentis quemvis meditationi passionis suae deditum. Aliter psalmus Stabat mater.

Auctore Fr. de Sales Tiefenthal a Tiefenkastell, O. S. B.

Pulcherrime dicit S. P. N. Benedictus (in s. reg. c. 19): „Sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostrae.“ Ad quod faciendum psalmos meditari oportere, nemo inficias ibit. Nostris diebus id a servis Dei eo difficilius, sed etiam eo meritorius praestatur, cum sacra psalmodia a multis vilipendatur et sint etiam inter praesules Ecclesiasticos, qui, seposita Scriptura, totos se dedant vel literis humanioribus, uti vocant, vel rebus

physicis vel administrationi rerum temporalium et sic subditos potius deterreant a studio sacrarum literarum quam ad illud incitent. Nos tanto malo pro modulo nostro obviare intendentes, opus nostrum in psalmos continuantes, accedimus ad explanandum psalmum 41.

De hoc psalmo s. Cyrillus Alex. adnotavit: „Nonnulli ad Davidem retulerunt praesentem psalmum; alii res Ezechiae hic praedici aiunt, quomodo nempe ob elationem suam in morbum inciderit, quomodoque amici erga ipsum affecti fuerint,¹⁾ et quod ob suam erga pauperes curam, sanitatem sit consecutus. Sed enim neutrum admittere sinit nos divinum Evangelium. Nam cum Dominus dixerit: „Ut adimpleatur Scriptura, qui panem mecum manducat, levavit contra me calcaneum suum“ (Joan. 13, 18), demonstraritque, nemini nisi sibi hunc psalmum congruere, audax temerariumque consilium existimo si quis aliud argumentum configere velit.“ Migne S. gr. 69, 991. — Quibus verbis Sancti perpensis et perspecto psalmi argumento dicere tenemur, psalmum hunc esse orationem Jesu Christi crucifixi, beatum dicentis omnem qui eum vera commiseratione prosequitur, querentis de malevolentia inimicorum, et petentis a Deo glorificationem eamque pro certo expectantis. Et cum nemo tam intime doluerit cum Servatore, sicut Mater eius sanctissima, ad eius stans Crucem, sub hoc respectu hunc psalmum non immerito vocare possumus psalmum Stabat Mater.²⁾

Finis psalmi est excitare in cordibus nostris veram commiserationem cum Christo patiente, ut fructum eius passionis participes fiamus.

Exhibebimus I locos discrepantes sicut in praecedentibus psalmis, II continuam psalmi explanationem.

I.

Versu 1^o לְמִנִּצֶּה אֵקֻטְּ פְּרָעֵעֵרִי sicut et alibi diximus. מְזִמֹּרֶת nos accipimus pro designatione carminis sublimis, et subtilis sicut pariter alibi diximus. Inscriptio לְדָוִד in fronte 75 psalmoreum occurrit, qui propterea illum sanctum regem habent auctorem humanum, cuius elogium texit Ecclesiasticus 47, 1—13. Insuper testibus Act. 4, 25., etiam ps. 2 auctor est.

¹⁾ Theodorus Mopsuestenus scilicet et eius sectatores.

²⁾ «Dopo la beatissima Vergine e s. Giovanni, asserisce Bartolomeo da Pisa, è questo il santo che più ha compatito le sofferenze di Gesù Cristo.» Le Monnier, Nuova istoria di San Francesco d'Assisi. Assisi 1895. Pag. 446.

Versus 2^{us} ex hebraica veritate sic vertatur: Felicia illius qui animum advertit ad aegrum, in die calamitatis eripiet eum Jehova.

Versus 3^{us}: Jehova custodiet eum et vivificabit eum, ut beatificetur (Keri יְאֲשֶׁר praeferatur τῶ Ketib. יְאֲשֶׁר) in terra, et nequaquam trades eum in aviditatem inimicorum eius.

Versus 4^{us}: Jehova fulciet eum super lecto aegritudinis, omne stratum eius vertes in infirmitate eius.

Versu 7^o adest superfluum et post foras: post secundum loquebatur punctum esse deberet.

Versu 8^o יְהִי in initio simul vertatur vel una: verba sunt praesentia.

Versus 9^{us}: Verbum Belial (flagitium) ferruminatum est ei, et eo (יְאֲשֶׁר) decumbens (proprie decumbit), non amplius resurget.

Versus 10^{us}: Etiam vir pacis meae in quo speravi, comedens panem meum, extulit contra me calcaneum.

Versus 11ⁱ initium: In hoc novi, te favere mihi, quoniam etc.

Versus 13^{us}: Et me in integritate mea sustentas, et collocas me coram te in sempiternum.

Sic exhibitis locis discrepantibus, transeamus ad commentarium perpetuum.

II.

Jam diximus, psalmum esse orationem Christi crucifixi, et quidem valet hoc de toto psalmo, quia in toto psalmo idem loquitur: cui sententiae supra favebat s. Cyrillus, sed etiam favet s. Ambrosius scribens: „Ideo, ipsi David, quasi ei qui solus ex omnibus in sua carne nostra peccata suscepit, qui solus Dei Agnus peccatum totius mundi abstulit, qui solus Chirographum decreti sanguinis sui effusione deiecit“ etc. Migne S. l. 14, 1119. Et s. Bruno A. t. dicens: „Ego, inquit propheta, psalmos compono, de me tamen intelligendi non sunt.“ M. S. l. 164, 840. Quam sententiam etiam tenet Theodoret. Cyr. M. S. gr. 80. 1161. Psalmus quatuor constat strophis In earum prima crucifixus quemvis beatum dicit qui ipsum vera cordis compunctione prosequitur, in secunda queritur de inimicorum malevolentia, quod continuat in tertia stropho. In quarta denique petit glorificationem suam eamque pro certo expectat.

Prima stropho. Crucifixus ipse omnem beatum dicit qui ipsum cordetenus commiseratur: „Verus amor est fecisse suas angustiati angustias.“ S. P. Chrysolog. M. S. l. 72, 232.

- V. 2. Beatus est recte sentiens de aegro,
In die mala eripiet eum Jehova.
V. 3. Jehova custodiet eum et vivum eum conservabit,
Ut beatus dicatur in terra,
Et nequaquam trades eum aviditati inimicorum eius.
V. 4. Jehova fulciet eum super lecto aegritudinis,
Omne stratum eius vertes in infirmitate eius.

Notamina. Ad v. 2. Quia crux fuit lectus, ubi Christus patiens exspiravit, recte Christus ipse a psalmista hoc in loco דָּל aegrotus vocatur. De quo s. Bruno Ast. adnotavit: „Egenum et pauperum Salvatorem nostrum dicit.“ 164, 840. Et s. Ambrosius: „Non ergo in divitiis suis, sed in nostra passus est paupertate. Ideoque non plenitudo divinitatis, quae in illo corporaliter habitat, ut scriptura testatur (Coloss. 2. 9), sed caro passa est.“ 14, 1121. Bene etiam ponitur hic מְשִׁיבֵי quod vocabulum, ut diximus ad initium ps. 45ⁱ, eum designat, qui non superficiali, sed profunda et subtili contemplatione rerum conceptus sibi format. Revera beatus est ille qui in Christo crucifixo non tantum hominem purum, sed Dei Filium fidei oculo intuetur.

Vexilla regis prodeunt,
Fulgit Crucis mysterium.
Quo carne carnis conditor
Suspensus est patibulo

„Quid autem inter omnia opera Dei, in quibus humanae admirationis fatigatur intentio, ita contemplationem mentis nostrae et oblectat et superat, sicut passio Salvatoris?“ S. Leo M. in Breviar. Domin. Palm. — Tum quatuor ponuntur ad describendam beatitudinem eius qui sincero corde crucifixum colit, dicitur enim hic: 1^o eripi a Jehova in die mala, 2^o felix futurus in terra, 3^o non tradi aviditati inimicorum, 4^o mire recreari in aegritudine. Quae, ut mihi videtur, primo loco dicta sunt de Theocratia Judaeorum. Destruata haec non fuisset, si, postquam Christum crucifixerat, se ad eum convertisset, sed gloriose aucta esset in Ecclesiam catholicam. Neque mirandum est, quod de ea quasi de individuo sermo est, nam haec personificatio non rara est in scriptura. Qua de causa etiam. v. 4^o de eius aegritudine sermo est, quod intelligendum est de eius oppugnatione per Romanos. Revera Christiani cum Jerusalem oppugnaretur, Pellam fugientes mire conservati sunt. — Possunt autem et debent praedicta intelligi etiam de quavis prosperitate proveniente singulis christianis e pia compassione cum Christo crucifixo. Fastigium beneficiorum Dei est, ut quis liberetur in die iudicii, quod certo eveniet cuique christiano dolenti de peccatis suis et in amore crucifixi morienti.

„Dies iudicii dicitur dies malus, quia in ipso puniendi sunt mali. In illa die illi securi erunt, qui fidem Christi susceperunt, et prophetis, et apostolis crediderunt, et de Christo scripturas sanctas intellexerunt.“ S. Bruno Ast. 164, 840.

Quaerens me sedisti lassus,
Redemisti Crucem passus,
Tantus labor non sit cassus!

Verus crucifixi cultor autem iam in hac terra beatus erit, ut dicitur

Versu 3^o. De qua re convenientissime scripsit Theodoretus Cyrensis: „Non solum futuris bonis perfruetur, sed etiam in hac vita divinam opem consequetur.“ M. S. gr. 80, 1163. Et s. Ambrosius: „Vobis opus est et precibus quotidianis, et advocacione Principis sacerdotum... Hic... orat pro eo qui intelligit et credit in Christum, et dicit: „Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum.“ Conservet a periculis, vivificet eum in mortis tenebris constitutum, beatum facere bonorum operum accessione dicitur.“ M. S. l. 14, 1123. In qua citatione praecipue ultima verba notentur, nam cum in hac vita etiam iusto diversa mala, morbi et mors obtingat, ille prae omnibus beatus dicendus est, qui his omnibus ad augenda merita pro aeternitate utitur. Sic tectus protectione divina, cfr. 5, 13 et totum ps. 91, transibit pius illaesus a visibilibus et invisibilibus inimicis, qui ei semper nocere inhiant, per pericula huius vitae et perveniet sanus et salvus ad beatam aeternitatem, quod dicitur verbis: „Et nequaquam trades eum vilitatibus inimicorum eius.“

V. 4. Optime ad hunc versum adnotavit Theodoret. Cyrensis: „Ab omni, inquit, aegritudine liberabit eum, et in bonam corporis valetudinem morbum permutabit: Hoc enim „vertis in infirmitate stratum“, pro mutasti posuit.“ S. gr. 80, 1163. Sed quia hoc non fit in terra, tenetur Deus hoc suum verbum adimplere transferendo animas servorum suorum in beatitudinem coelestem et resuscitando corpora eorum ad gloriam infine mundi. Specimen exhibet nobis gloriosa mors sanctorum. Sic ex. g. legitur in officio Andreae Ap.: „Cum pervenisset beatus Andreas ad locum, ubi Crux parata erat, exclamavit et dixit: O bona Crux, diu desiderata, et iam concupiscenti animo praeparata! securus et gaudens venio ad te, ita et tu exultans suscipias me discipulum eius qui peependit in te.“ „Justus si morte praecipuus fuerit, in refrigerio erit.“ Sap. 4, 7. Consulas etiam Apocalyp. nostram pag. 776.

Optime Theodoret. Cyr. transitum huius strophae ad sequentem indicat verbis: „Post expositas remunerationes eius, qui hanc paupertatem (dicere debuisset humilitatem) admirabilem

intelligit, ostendit nobis, quis sit qui hanc habuerit, et quomodo se in ipsa gesserit, ipsum docentem inducens et sua enarrantem.“ 80, 1163.

Secunda strophā: Queritur Christus de inimicorum malevolentia.

- V. 5. Ego dixi: Jehova, miserere mei!
Sana animam meam, quia peccavi tibi.
- V. 6. Inimici mei dicunt mala de me:
„Quando morietur, ita ut pereat nomen eius?“
- V. 7. Et si venit videre, vana loquitur,
Cor eius congregat iniquitatem sibi:
Egrediens foras, communicat eam aliis.¹⁾

Notamina. V. 5. Verbo אֲמַרְתִּי acuitur attentio pro sequentibus. Reliqua huius versus verba non videntur congruere Salvatori, sed aptissime adnotavit Euthymius Zigabenus: „Certissimum quidem est, illum (Christum) nunquam peccasse, verum . . . quemadmodum victima, quae olim pro peccato immolabatur, iuxta legem peccatum in se suscipiebat, quod una cum victima comburi dicebatur: ita et Christus pro nostris immolatus peccatis, in se ipsum omnia nostra suscepit peccata: nec secus ac si ipse peccasset, ad eorum remissionem et oravit et mortuus est ob summam nimirum atque ineffabilem eius misericordiam.“ M. S. gr. 128, 462.

V. 6. Patet hic versus, si eum comparamus cum vita, et praecipue cum passione Domini Nostri. Nihilominus non pigeat audire verba s. Ambrosii: „Maledicebant, inquit, ei, scil. Salvatore, Iudaei, mortem eius expetebant, insidiabantur, urgebant, crescentem quotidie gloriam eius operis non ferentes. Hoc ergo prophetia annuntiat, quod in Evangelio completum est: „Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur, et perebit nomen eius?“ Amentes qui vitae auctorem mori posse credebant.“ 14, 1125. Et Origenis: „Invisibiles (addere debuisset: et visibiles) Salvatoris nostri inimici volebant ipsum occidere, ut gloriam nominis eius extinguerent: verum, nedum interierit, in nomine etiam Jesu flectetur omne genu, et omnis lingua confitebitur ei. Dicere quoque possis, ipsum pro discipulis orare“ etc. 12, 1414. Et Apolinarii Laodicensis: „Molestias mihi excogitarunt improbi et infesti viri, Precati, quando vitae meae memoria evanescat.“ M. S. gr. 33, 1370.

V. 7. Retinens comparisonem crucis cum lecto mortis Salvatoris, pergit, psalmista loquens de eis, qui tum ex praedictis inimicis tum fictis amicis venirent videre, quomodo scilicet se

¹⁾ Ad sensum vertimus hanc lineam.

haberet. רָאוּת etiam II. Sam. 13, 5. 6. IV. Reg. 8, 29 de invisendis aegris adhibetur. Qui autem ex praedictis veniebant videre Christum in Cruce pendentem, id non faciebant commiseratione ducti, sed ludibrii causa, ut gauderent interne et forsitan etiam externe de eius doloribus, ut confirmarentur in falsa sententia, eum esse seductorem, eum iure merito ad mortem damnatum esse, eum mox extinctum iri et tunc omnia de eo finem habere. Sic congregabant nequitiam in corde, et abeuntes eam aliis communicabant. Nos autem precemur:

Eja mater, fons amoris,
Me sentire vim doloris fac,
Vt tecum lugeam!

Continuatur idem argumentum in

Stropha tertia.

V. 8. Simul adversum me susurrant omnes osores mei,

Adversum me excogitant malum mihi:

V. 9. „Verbum Belial ferruminatum est ei,
Et eo decumbens, non amplius resurget.“

V. 10. Etiam vir pacis meae, in quo speravi,

Cum comederet panem meum, extulit contra me calcaneum.

Notamina. V. 8. Susurrant omnes inimici et ficti amici mei unus ad alterum (הַתְּלִיחַ ut II. Sam. 12, 19) peccata mea

et poenas mihi a Deo inflictas et infligendas, pessima de me cogitant. „Cum sceleratis reputatus est.“ Isai. 53, 12. Malam opinionem de me exprimunt

Versu 9^o dicentes: Verbum Belial (cfr. Deut. 15, 9), id est, scelus nefandum, ferruminatum est ei, tenacissime adhaeret ei (cfr. Job. 41, 15. 16. Ps. 101, 3), ita ut ab eo se liberare non possit ac propterea nunc decumbens, certo non amplius resurget, id est, actum est de Christo et de nomine eius. —

Bene ergo quidam pius auctor sic Christum introducit loquentem:

Sustinu ad saturam ludibria, sibila, probra.

Eo tristior est conditio Crucifixi, quia non tantum inimici et falsi amici, sed etiam amicus intimus et abscondite et aperte ei insidias struxit, ut dicitur

Versu 10^o. Vir pacis meae (אִישׁ שְׁלוֹם ut Abd. v. 7.

Jer. 20, 10. 38, 22), quo nitebar, cui plurimum credebam ac confidebam, qui meus commensalis erat (cfr. 55, 15), hic extulit contra me calcaneum, ubi עֲקָב et de dolo et de impulsu caedendi

intelligendum est, ergo et clam et aperte mihi insidias struxit,

sicut revera fecit Judas contra Salvatorem. Sic etiam explicandum est: magnificavit super me supplantationem LXX et Vulg. id est, magnas et dolosas machinatus est contra me insidias. Dominus noster J. Chr. apud Joan. 13, 18 proditione Judae Ischariotis Ps. 41, 10 (alias versum quam in LXX) ὁ τρώγων μετ', ἐμοῦ τὸν ἄρτον ἐπήρην ἐπ' ἐμὲ τὴν πτέρυν αὐτοῦ impletum esse dicit. Quam cum tot saeculis, antequam eveniret, praedixisset per os Davidis, monstrat, quam avidè desiderabat conversionem Judae, et quam inique hic egit. Item cum haec verba dicta sint a Davide ex persona Christi, necesse est, ei (Christo scil.) totum psalmum attribuire, quia in toto psalmo unus loquitur et habere totum psalmum pro mere messianico.

Magna revera fuit malitia Judae, nam „fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum“, ut dicit s. Petrus in Act. 1, 16, ubi idem Apostolus etiam expressis verbis testatur, oportuisse hanc scripturam impleri, quam praedixerat Spiritus Sanctus per os David de Juda, ubi tamen non de coarctatione libertatis humanae, sed de necessaria punitione mali sermo est. Quocum conferatur Joan. 17, 12 et ps. 109, 8. Christus autem quamvis praesciret proditionem Judae, elegit eum in Apostolum et sustinuit eum in societate sua, monstrans per hoc, se revera velle eius salvationem, nec ei gratiam, sed cooperationem cum gratia defuisse, et ut eum haberet testem innocentiae suae. „Christus habuit adversarios et oblocutores, et tu vis omnes habere amicos et benefactores?“ De Im. Chr. l. 2. c. 1. n. 5.

Pergit Crucifixus invocare Dei adiutorium super se, ne inimici gaudere possint de se, in

Stropha quarta.

- V. 11. Tu autem, Jehova, miserere mei et resuscita me,
Et retribuam eis.
V. 12. In hoc cognosco, te delectari de me,
Quod non gaudebit inimicus meus super me.
V. 13. Me utique in integritate mea sustentabis
Et in aeternum me coram te collocabis.

Notamina. V. 11. Petit crucifixus resuscitari. S. Ambrosius de prima linea huius versus scripsit: „Quod utique non quasi de resurrectione dubitans dicit, qui in potestate habebat dicere: „Solvite templum hoc, et in triduo resuscitabo illud“ (Joann. 2, 19), sed formam dat homini, ut misericordiam a Deo, et resurrectionem de Deo speret... Resuscitari se, hoc est, corpus suum poscit.“ M. S. l. 14, 1134—1135. Et Hesychius Hierosolymitanus de secunda linea: „Non quod quia mortem ab ipsis sit passus, vindictam eis referre velit, hoc dicit (ipse enim crucis tempore dixit: Pater, dimitte illis peccatum Luc. 23, 34), sed cum sine

personarum acceptione et iustum Patris iudicium vidisset in homicidas istos decretum, idcirco tanquam idem cum Deo ac Patre operetur, ait: Et ego retribuam eis, ut eandem in utrisque operationem declaret.“ S. gr. 93, 1194. Et addere debuisset: et quia convertere se nolebant. „Credant Judaei vel ex hoc Christi resurrectionem, quod vident se iam suscepisse suam mercedem.“ S. Bruno Ast. 164, 842—843. Adeatur ps. 109 (108). Pergit Crucifixus apertius loqui de glorificatione sua in

Versu 12^o. „Qua ratione ergo inimicus non est laetatus super eum? Quia etsi mortem suscepit pro nobis, resurrexit tamen, et ipse insultavit inimico, cuius victoriam destruxit, et aculeum mortis infregit.“ S. Ambros. 14, 1135.

Apertius adhuc anuntiat Salvator crucifixus

Versu 13^o spem certam adiutorii Dei et glorificationis suae sempiternae indicans ut causam utriusque innocentiam suam, de quo S. Bruno Ast.: „Magna est, inquit, virtus innocentiae, quam ipse Dominus tantum commendat, ut ipsam suam humanitatem per innocentiam Deo placuisse ostendat. Talis enim illa humanitas facta est, in qua nullum locum habere potuisset macula peccati. Si enim talis non fuisset, cur prae caeteris Deo placuisset? His igitur verbis nos quoque ad innocentiam Dominus provocat.“ 164, 843. De glorificatione autem Christi bene addit s. Ambros.: „Bene confirmatus in conspectu Patris dicitur in aeternum, quia apud Patrem semper est: et vere in conspectu eius, cuius splendor est gloriae, et imago substantiae.“ 14, 1136.

Versus 14^{us} secundum Vulgatam non est pars praecedentis psalmi, sed finis primi Psalmorum libri secundum Hebraeos. Occurrit similis doxologia etiam in fine psalmorum 72, 89 et 106, ubi, secundum Hebraeos, secundus, tertius et quartus psalmorum liber clauditur.

Additur in hoc loco textui hebraico: שני ספר liber secundus.

„Benedictus Dominus Deus Israël,“ qui tanta aperuit mysteria „a saeculo, et in saeculum,“ id est, ex infinito in infinitum: „Fiat, fiat.“ S. Ambros. 14, 1140.

